

DE SPARSIONIBUS  
EXPIATORIIS.

§ I.

**A**lterum locum supra assignavimus adspersionibus expiatoriis, per quas intelligimus omnes istas sparsiones, linitus vel effusiones, factas sanguine mactatorum sacrificiorum. Merito autem hasce adspersiones *expiatorias* appellamus, non quasi per sanguinem sacrificiorum effusum reverâ peccatum expiatum atque sublatum fuisse existimemus, quod apertè repugnaret dicto Paulino Hebr. X: 4. ἀδύνατον pronuncianti ἀμα τάυρων καὶ τράγων ἀφαιρῆν ἁμαρτίας fieri non posse, ut sanguis bouum atque hircorum auferat peccata. Quin è contrario idem in ipsis quotannis ἀνάμνησιν ἁμαρτιῶν recordationem peccatorum fuisse asserit vs. 3. Quo & facit Jeremias, quando peccata Judæorum לַקֶּרְנוֹת מִזְבְּחוֹתֵימ cornibus altarium illorum inscripta dicit Jer. XVII:1. Verùm potius *expiatoriarum* nomine eas insignimus, quia per ejusmodi adspersiones sanguis illius, qui reverâ peccata expiaturus erat, certo certius aliquando effundendus præfigurabatur. Atque hinc est, quod Deus in lege ceremoniali typicis hisce adspersionibus ipsam expiationem adscribere solitus fuerit. Quandoquidem non solum in genere *adspargere sanguinem* plus vice simplici in sacris per *expiare* חָטָא & כִּיפַר exprimitur, ut supra Cap. I. §. 7. visum est: Verùm etiam Levit. XVII: 11. de sanguine expressis verbis summum Numen pronunciat, אֲנִי נֹתֵתִיו לָכֶם: עַל הַמִּזְבֵּחַ לְכַפֵּר עַל נַפְשֹׁתֵיכֶם: Ego destinavi illum vobis super altare, ad expiandum pro animabus vestris. Quo etiam alludere videtur Paulus Apostolus, quando Hebr. IX: 22. asserit, Χωρὶς αἱματεκχυσίας ἢ γίνεται ἀφεσις sine effusione sanguinis non fit remissio, oculum sine dubio dirigens ad pervulgatum illud Rabinorum assertum אֵין כִּפְרָה אֵלָא בַדָּם Non est expiatio nisi per sanguinem Gem. Joma fol. 5. a. Gem. Menachoth fol. 93. b. Sc. Nam-

*Adspersiones expiatorie factæ sanguine animalium.*